

[426] De Iudeis, utrum in agendo et respondendo Iudeus possit dici probus vir

Quidam de Gebitzka, cui equus arrestabatur in Boscowicz, dixit coram iudicio, quod probum virum, apud quem dictum equum emerit, pro eius disbrigatione statuere vellet. Instante vero termino iudicii quemdam statuit Iudeum, contra quem adversarius excipiens quesivit, utrum Iudeus, cum sit infidelis, locum probi viri agendo vel respondendo supplere possit.

Super quo diffinitum fuit, quod cum Iudeus secundum etatem, secundum sexum, secundum sensum, id est discrecionem, et secundum probitatem, id est secundum actus viriles, sit et possit esse vir et omnibus istis modis non repungnet sibi, quod sit probus, vicem probi viri, quamvis non probi Christiani, dummodo^a non sit infamis, agendo vel respondendo supplere potest. Unde quod non est fidelis ex hoc solum habetur, quod non sit vir coniugio. Matrimonium enim et alia sacramenta extra ecclesiam non habentur.

[427] Item ad idem, de Iudeis, quantum ad furta et causas criminales

Postquam quedam civissa huius civitatis de camera res suas perdidisset, dictum est ei per inquilinos domus, quod quendam Iudeum sic vestitum et sic dispositum in domo vidissent. Ad que verba mulier se convertens in platea Iudeorum mutato habitu, quo cottidie induebatur, Iudeum secundum signa, que ab inquilinis audiverat, querere cepit. Eo itaque viso cum ad fugam se converteret, ita quod eum amplius non videret, mulier cucurrit ad iudicem Iudeorum petens, quod ipsum Iudeum tamquam furem suum caperet. Iudex vero, quia ante adventum mulieris de furto ipso perceperat, Iudeum in fuga detinuerat et in vinculis iam habebat. Quo audito mulier dicebat iudici: „Domine, perdidisti tot marcas grossorum Pragensium in tali marsupio et tot solidos Wyennensium in secundo marsupio et peplum, monilia et alia clenodia talia et talia“. Que cum iudex in cista Iudei querere inciperet, invenit aliquot grossos et eciam Wyennenses in duobus marsupiis, invenit eciam peplum et alias res sub debitis signis, que mulier rebus dixerat de eisdem. Cum igitur Iudeus tamquam fur in fuga captus per mulierem in causam traheretur, respondit, quod res in sua potestate invente sibi essent obligate et quia ipsas furtim ablatas ignoraverit, eas pro pignoribus receperit, quod vellet iuramento suo super eisdem pignoribus obtinere, sicut dicunt iura et privilegia Iudeorum sub hiis verbis: „Item, si Christianus impetiverit Iudeum, quod pignus, quod Iudeus habet, ei furtim vel per violenciam sit ablatum, Iudeus iuret super illo pignore, quod cum recepit furtim ablatum vel raptum ignoravit, hoc in suo iuramento implicito, quanto sit ei pignus huiusmodi obligatum et infra“.

In contrarium vero mulier allegavit, quia non sit consuetum, quod denarii tamquam pignora pro aliis denariis Iudeis obligentur, nec eciam marsupia pro pignoribus consueverint obligari, et insuper, cum ipsa certa signa dicat de clenodiis in cista Iudei inventis, utrum ipse sibi tamquam fur non debeat condemnari.

Pendente itaque termino per iuratos Christianorum et Iudeorum ad delibendum super premissis allegacionibus posito Iudeus ipse promissis et tormentis de veritate dicenda monitus et inductus confessus est, quod dictas res subtraxerit et quod quendam Christianum Mathiam nomine socium eiusdem furti habuerit et quod eidem Mathie de pecunia eiusdem furti cesserint sex marce. Secundum quam confessionem dictus Mathias captus recognovit de

prescriptis. Dictam vero confessionem Iudei, quia tantum coram Christianis iuratis facta fuerat, alii Iudei ex hoc, quod non simul Christiani et Iudei eam audiverant, nullius vigoris esse dicebant. Consilium vero plenum civitatis, quod regitur per viginti quatuor, sentencialiter adinvenit, quod non obstante Iudeorum allegacione, quia Christianus ex prodicione Iudei esset captus et accusacionem Iudei veram esse recognoverit, Iudeus ipse ex confessione propria coram solis Christianis facta pena patiboli mori deberet.

Unde quamvis Iudeus per Christianos et Iudeos sit convincendus, tamen in actu furti raptus per ipsum actum vel furtum vincitur pleno iure.

Dictus denique Iudeus, quia iudex Iudeorum a civitate declinaverat, coram tribunali Christianorum ductus fuit abiudicatus et pileus de scutella lingno quodam elevato, superius scutelle more Iudaico imposito, factus cum pice ardente crinibus et capiti Iudei impressus, cum eodem pileo, ut a Christianis suspensus discerneret, patibolo, cathenis et ferramentis cum collo, ventre et pedibus est affixus. Dominus vero de Lantstain, capitaneus Moravie, postea Brunnam veniens iuratis obiecit, quod Iudeum, qui fuisset servus camere domini marchionis, contra iusticiam suspendissent. Ad quod iurati responderunt, quia moti iure civitatis Iudeum patibolo tradidissent. Scribitur enim in privilegio iurium civitatis sic: „Quicumque in aliquo furto deprehensus fuerit, quod sexaginta denarios valeat, suspendium paciatur et infra“. Et quia nullus fur excipitur a pena suspendii in verbis prescriptis, ideo iurati plenum ius habent omnem furem et maxime cum furto raptum vel de furto confessum, cum in dicto privilegio auctoritate regia hoc ipsis non sit prohibitum, suspendendi. In hoc enim nomine infinito quicumque omnis fur includitur et nullus excipitur. In qua iuratorum responsione ipse contentatus nullam de Iudei suspensione fecit ulterius mencionem.

[428] De Iudeis, quantum ad accionem et defensionem

Licet privilegium Iudeorum dicat, quod Christianus volens Iudeum vincere cum Christianis etiam Iudeum debet in testem producere, tamen si Iudeus Christianum cum testibus Christianis et Iudeis impetit, non oportet, quod propter hoc Christianus similiter cum Christianis et Iudeis se defendat et expurget, sed sufficit, quod defensionem iuridicam cum testibus faciat Christianis. Cum^a enim accio sit voluntaria et defensio sit de iure naturali, ius potius defensori debet succurrere quam actori. Sic sentenciatum est in Gosteel.

[429] De Iudeis, quantum ad debita soluta et testimonio iuratorum contracta

Iurati de Nausedlicz scripserunt sic: Iudeus impetivit Christianum pro debitis, que sibi concesserit coram iurato, et querit, si iuratus de concessione testetur, utrum Christianus eadem debita solvere sibi non teneatur. Christianus autem respondens concessionem affirmat, sed debita se asserit persolvisse, quod velit ostendere forma iuris et infra.

Item scripserunt etiam sic: Iudeus impetivit Christianum pro debitis, que coram iurato sibi concessit isto modo, quod sororio suo huiusmodi debita solvere deberet. Ad quod Christianus respondit, quod dicta debita coram eodem iurato iam mortuo dicto Iudei sororio etiam defuncto persolverit, quod velit probare forma iuris et infra.

Super quibus ambobus diffinitum fuit, quod Christianus debita soluta mettercius credibilium virorum in cruce iurando ostendere teneretur. Ad^a

quam ostensionem Christianus non admitteretur, si tempore concessionis Iudeus hanc cautelam interposuisset: „Volo, quod ista debita michi non alibi, nisi coram iurato persolvantur“. Et hoc est intelligendum super prima questione. In secunda vero, ubi iuratus dicitur esse mortuus, locum non habet.

[430] De Iudeis, quantum ad formam iurandi

In Reedisch cum Iudeus mulieri Christiane iurare deberet pro octo lapidibus lane, alter Iudeus formam iurandi sibi predixit istis verbis in vulgari: „Des^a swerst du umb di schuld, als dir di fraw schuld geit pei der ee, di dir got gab auf dem perck Synai“. Quesitum est ergo, utrum valeat ista forma.

Et responsum est, quod sic. Ut autem debitus modus circa ipsam servetur, recipiendus est Penthatheucus Moysi, scilicet rodale Iudeorum, et queratur in Exodo vel in Deutronomio scriptura decem preceptorum domini. Et super illo precepto „Non periurabis nec assumes nomen dei tui in vanum“ Iudeus iurans manum ponat et sive repetat verba post illum, qui sibi formam proponit, sive proponens totam formam per se loquatur et Iudeus solum subiungat „Amen“, forma valet. Debet tamen in ipsa forma res, de qua placitatur, et affirmacio vel negacio, que ad hoc exigitur, propriis verbis exprimi. Et si Iudeus istam formam recusans circa ius, quo privilegiatus est, se peccerit conservari, hoc est sibi favorabiliter concedendum.

[431] De Iudeis racione vulnerum

Ad requisicionem civium de Chremsir sentenciatum fuit, quod Christianus accusatus per Iudeum, quod ipsum vulneraverit, per testes idoneos Christianos melius potest suam innocenciam ostendere, quam Iudeus eum vincere possit.

[432] De Iudeis, quantum ad conviccionem in criminibus

In Reedisch Iudeus deprehensus in furto cum coram pretorio accusaretur de furto, alter Iudeus ibidem astans prolocutori dixit, quia maior esset fur quam Iudeus, de quo furti querimoniam proponebat. Ad cuius prolocutoris querelam modo premissa expositam Iudeus respondit negando, petens se circa Iudeorum privilegia conservari. Advocatus vero Christiani Iudeum vult vincere testimonio iuratorum, qui pretorio assederunt. Queritur ergo et infra.

Et respondetur: Si coram iudicio, ubi Iudeus dicitur advocatum Christiani furem appellasse, plures alii fuerunt Iudei, sicut est verisimile, tunc Iudeus cum Christianis et Iudeis est vincendus. Si autem preter illum solum alii non affuerunt Iudei, tunc super ferenda diffinitiva sententia matura deliberacio est habenda. Est enim forte contrarium iuri, ut iurati, qui tribunali presidentes, ubi maior est vis eorum officii, sententias absolutorias et condempnatorias in astantes iudicio proferunt, non possint testari de verbis et factis, que per quemcumque hominem cuiuscumque professionis existentem ibidem fiunt. Sic enim si Iudeus ipsum iudicem vel iuratum in actu iudiciario vita privaret, inpune transiret. Licet eciam in generali privilegio Iudeorum scribatur, quod Iudeus per Christianum et Iudeum vinci debeat, tamen ex hoc forte princeps non concessit Iudeis, quod in specie non esset verisimiliter concessurus, et precipue cum hoc in dicto privilegio non sit expressum nominatim.

[433] De Iudeis, quantum ad pignora et iuramenta

Sentenciatum est Iudeis civitatis, quod Iudeus tantum super pignora rei mobilis, que in sua tenet clausura, per iuramentum potest suum debitum obtine-